MAGAZIN
FÜR
PHILOLOGEN.

HERAUSGEGEBEN

VON

G. A. RUPERTI UND H. SCHLICHTHORST.

ZWEITER BAND.

BREMEN 1797.

BEY FRIED. WILMANS.

Google

Argumentum.

Pag.
1. *Seidenſtücker* Obſſ. in Iuſtinum. (MS.) 1.
2. *Auguſti* Comm. in Horat. Epiſt. II. 1, 170. ſq. (MS.) 16
3. *Einsd.* Obſſ. in quaedam loca vett. poett. (MS.) 22.
4. *Lenz* deſcriptio III. numorum graecc. (MS.) 28.
5. *Schaubach* Diſp. ad Heſiodi Ἐργ. v. 381 ſq. 30.
6. *Eckhard* de ritu ant. per ignes et carbones candentes incedendi, ad Virg. Aen. XI, 785 ſq. 36.
7. *Lenz* Comm. de Iove Elicio (MS.) 48.
8. *Belin de Ballu* Obſſ. in Lucianum, excerptae a *Bredencamp* (MS.) 61.
9. *Schloſſer* Obſſ. in Platonis Menon. p. 40. ed. Beſteri (MS.) 81.
10. *Starke* de comparatt. Homeri. 84.
11. *Merrem* de animal. Scyth. ap. Plin. VIII, 15. (ed. emend.) 98.
12. Var. Lectt. obviae in Cod. Franeq. Vitruvii, et enotatae a *Friſemann* (MS.) 123.
13. *Francke* Comm. de II. Dialog. Tuſcul. Ciceronis 159.
14. *Herel* emendatt. locorum aliquot Taciti et Plinii (MS.) 213.
15. *Francke* Phaedon Platonis in epitomen redactus (MS.) 229.

I.

Vindiciae nonnullarum Juſtini lectionum male proſcriptarum.

Quum is non minus bene de ſcriptoribus priſcis meretur, qui ipſis lectiones vulgatas vindicat, quam qui nouas iis offert: equidem, quum illa ratione Juſtino conſulere poſſe mihi viderer, quaedam loca virorum doctorum iudicio ſubiicienda putaui. Rationem autem non habui niſi eorum, quae a Graevio et Gronovio diſputata ſuae editioni addenda cenſuit Fiſcherus vir doctiſſimus.

I. Lib. 12. c. 2. §. 14. Juſtinus narrat, *Alexandrum, regem Epiri, cui reſpo[illegible]m Dodonaei Jovis circa vrbem Pandoſiam* (in Epiro) *amnemque Acheruſium inſidias praedixerat, cum iuxta vrbem Pandoſiam (in Italia) et flumen Acheronta interficeretur, morientem, non in patria fuiſſe ſibi periculoſam mortem, propter quam patriam fugiſſet, intellexiſſe.* — Graevius, *periculoſa mors* quid ſit, inquit, nemo dixerit. Mortui omnibus periculis ſumus defuncti. Pro *mortem* igitur

ſcribit *ſortem.* Quae couiectura, quamquam alioquin aptiſſima, quum auctoritate prorſus careat, an forte lectio *periculoſa mors* defendi poſſit, videbo. Graevius pericula, quibus mors coniuncta ſit, refert ad eos, qui mortem ſubeunt. Sed eadem quoque ad illos referri poſſunt, quibus alicui ſuperſtitibus ſubeunda ſunt pericula, vt, mortuo patre, liberis et coniugi &c. Vnde generatim *mors periculoſa* dici poſſe, nullus dubito. Quod autem quum in Juſtini locum non cadat, aliud eſt tentandum. — *Periculoſa mors* hic igitur ſignificare poteſt *pericula mortis*, quatenus haec pericula ipſi mortem paſſuro propoſita ſunt, vt Juſtinus ipſe initio huius capitis explicat, narrans, *ad declinanda fatorum pericula, cupidius Alexandrum militiam peregrinam elegiſſe.* Quae vis huic adiectiuo ſubiecta ſic probari poteſt. *Periculoſum* eſt, periculo coniunctum, periculum continens, periculum faciens, vt *ira periculoſa*, *obliuioſum Maſſicum*, &c. Mors autem ipſa pericula afferre non poteſt; ſed cum *mortem* cogitamus, eamque fugere volumus, ſaepe fit, vt in pericula incidamus. Hinc mors periculoſa eſt ea, cuius fuga homines in pericula coniicit. Juſtinus igitur narrat, Alexandrum intellexiſſe, mortem, cuius fuga tot ſibi attuliſſet pericula, non fuiſſe in patria. Sed optime ſic intelligitur periculoſa mors, vt ſit ea, qua inſidiae, praelia aliaque pericula, non naturalis fatorum conditio, nos

affi-

afficiunt. Alia enim eſt mors, cum interficimur &c. alia, cum morte noſtra morimur. Quare cum Alexandro oraculum praedixiſſet, ſe inſidiis petitum iri, mortem eius iure periculoſam vocat Juſtinus. Quem ſi quis dubitat nomina adiectiua ſubſtantiuis ita iungere ſolitum, vt illa ad haec proxime referri non debeant: vnum tantum hic commemorabo exemplum e libr. 32. C. 1. 3. vbi recordationem priſtinae libertatis *glorioſam* dicit, quamquam non tam recordatio illa, quam, quod inter tot Graeciae ciuitates ſoli (Aetoli) libertatem illibatam retinuerant, erat glorioſum.

II. Lib. 21. C. 4. 5. Juſtinus ſcribit, *Poenorum ſenatum decreto modum nuptiarum ſumtibus ſtatuiſſe, idque obſeruari non ab vno, ſed ab vniverſis iuſſiſſe, ne perſona deſignata*, NON *vitia correcta viderentur.* Graevius *non* in *ſed* mutat, ſenſum id omnino requirere dicens. At belle fallitur vir doctus. Nam quamquam haud diffiteor, ſenſum per hanc mutationem reddi faciliorem et ipſis temere legentibus promtiorem: attamen quo iure retineatur lectio vulgata, perinde oſtendit ſenſus, qui hinc proficiſcitur, aptiſſimus. Ideo enim ab omnibus iſtud ſeruari iuſſit ſenatus, ne qui putarent, ipſum perſonam deſignare voluiſſe, neutiquam id ſpectaſſe, vt vitia corrigeret. Timuit enim ſenatus, ne qui hoc eſſe factum

dicerent. Ratio igitur, quam addit ſenatus legi, petita eſt a ſuſpicione rumoris cuiusdam maleuoli, qui facile oriri poſſet, ni omnes legi parere iuberentur. Haec ipſa ſuſpicio indicatur per voculam *non*. Quippe ſenatus rumorem iſtum quaſi integrum legi ſuae addidit. Rumor autem, quem ſenatus timebat, hicce erat: Perſonam eſſe deſignatam, non vitia correcta. Quem confutaturus expreſſe omnes legi ſubiecit, ne perſona deſ. non vitia correcta viderentur, i. e. ne qui opinarentur, perſonam eſſe deſignatam, non autem, quam cauſam lex tamen praetexeret, vitia correcta. Iam vox *viderentur* oſtendit, hanc rationem legi additam ſolum ad iſtum rumorem ſpectare. Teneas igitur, haec verba a rumore malevolo eſſe petita, et facile tibi perſuadebis, quam bene ſe habeat iſtud *non* a Graevio male mutatum in *ſed*.

III. Lib. 22. C. 1. §. 12. *Sequenti Campanorum*] Gronovius, ſcribe, inquit, *Campano*, nempe bello. Equidem hanc mutationem ſuperfluam puto. *Campanorum* eſt genitiuus obiectiue poſitus et idem, quod *bellum aduerſus Campanos*. A quo Genitiui vſu non abhorrere Juſtinum, nonnulla exempla in medium prolata ſatis docebunt. Lib. 15. 4. 21. *Bellum Antigoni* h. e. quod geritur contra eum. Lib. 42. 4. 1. *bellum Armeniae* &c. Haec exempla in indice, quem Juſtino Freinshemius adiecit,

cit, adnotata ſunt. Quae etiamſi quis aliter explicare audeat, hoc tamen, quod in indice praetermiſſum mihi nuperrime occurrit, minime poterit. Lib. 27. 1. 4. *Vxor, velut matrimonio pulſa, ſponte ſua ad fratrem Antiochum diſcedit; cumque in mariti bellum impellit,* i. e. in *bellum aduerſus maritum.* Hinc lectio vulgata ſatis bene habet.

IV. Lib. 22. 6. 2. *Aduerſum profecturos*] Gronovius *profecturis* legi iubet. Quae mutatio ideo minus placet, quia rex ſuis non id inculcare ſtudet, prodigium eſſe *aduerſum*, ſed quibus ſit portentum potius disquirit. *Aduerſum* enim eſſe, non dubitabant milites, quippe territi portenti religione; quum autem ſibi hoc aduerſum prodigium eſſe portentum ſuſpicarentur, id rex refutaturus adverſus Poenos, non aduerſus ipſos eſſe portentum, dixit. *Aduerſus aliquem portendere*, quamquam raro aut numquam, niſi hoc loco, occurrere facile concedam, tamen, ſi ſenſus requirit, et omnes libri MSti conſentiunt, in Juſtino tale quid ferri poſſe, nemo non fatebitur.

V. Lib. 23. 2. 5. Haec verba leguntur: *bellum inter filium nepotemque eius, regnum iam quaſi mortui vindicantibus, oritur.* Graevius, " non fert, inquit, hoc Priſciani doctrina. Scribe cum Juntis: *vindicantes.*„ Priſciani doctrinam

nam non ferre, nemo forte neget: an vero Juſtini ſcribendi genus non ferat, alia eſt quaeſtio. Hic quidem ſaepius ſic adhibet ablatiuum abſolutum, e g. I. 31, 8. 1. *mutua gratulatio Ilienſium ac Romanorum fuit, Ilienſibus Aeneam Romanis, ſe — referentibus.* L. 32. 2. 7. *apud patrem — indignante* — pro indignantem. Plura facile ex Juſtino colligi poſſent exempla, ſi res indigeret. — *Vindicantes* latinius eſſe apparet; ſed cum *vindicantibus* a Juſtini genere ſcribendi non abhorreat, vtra lectio dignior ſit, quae in textum recipiatur, artis criticae periti facile iudicabunt.

VI. Lib. 24. 3. 9. Juſtinus Arſinoen, ſciſſa veſte et crinibus *ſparſis* ex vrbe protractam eſſe, narrat Graevius vocabulo *Sparſis* hanc ſubiicit notam: Latinis auribus hoc loquendi genus non poſſe placere puto. Eae enim norunt *paſſos* crines, non *ſparſos*.„ Hoc quid ſibi velit, me non intelligere, libere fateor. Graevius enim ſi omnino negat, *ſparſus* de vllo capillorum genere dici, multa ſunt exempla, quae eum confutent, e. g. Ovid. *ſparſis in terga capillis*, et alia. Sin autem de crinibus tantum negat, id nihili eſt, nam *crines* hic pro *capillis* poſiti ſunt. Non eſt igitur, quod mutemus lectionem receptam.

VII. Lib. ej. Cap. 6. 6. Graevius pro *ad affirmationem maieſtatis*, poſuit *admiratione maieſtatis.*

ſeſtatis. Quam lectionem quum nonnulli libri manuſcripti habeant, tamen illa non tam inepta eſt, vt deſerenda ſit, praecipue quum leges artis criticae ei, vtpote difficiliori, magis faueant, quam Graevianae. *Ad* quippe euentum, non cauſam indicat, ità, vt hic ſenſus ſit: homines vndique concurrerunt, vnde affirmatur huius loci maieſtas.

VIII. Lib. 31. 3. 9. Et in *Aſiam* regi ſedenti — relaturum. Non opus eſt cum Gronovio legere: in *Aſia;* verba enim in *Aſiam* cum *relaturum* coniungenda ſunt, nec, id quod Gronovius fecit, cum *ſedenti*. Promittit enim Hannibal regi, ſe ipſi remanenti et prorſus ſecuro victoriam in Aſiam relaturum. Quippe non vult in Aſia bellum gerere, quo facto vel ipſe Antiochus belli laboribus turbaretur neceſſe erat, ſed potius in ipſa Italia Romanos aggredi et victoriam in Aſiam referre, et quidem regi ſedenti nec ipſi belli diſcriminibus circumdato. Magnopere igitur turbat Gronovii mutatio veram verborum ſententiam.

IX. Lib. ej. Cap. 2. 4. Juſtinus Hannibalem habuiſſe narrat naues cum remigibus occultò ſinu littoris abſconditas, grandemque pecuniam in agro praeparatam, vt, cum res exegiſſet, nec *facultas* fugam, nec inopia, moraretur. Graevius, quomodo facultas, inquit, fugam poteſt morari? quin facultas fugiendi

pro-

promouet fugam.„ *Difficultatem* igitur pro illa poni vult. — Si accuratius rem conſideramus, fatendum eſt, a facultate fugam promoueri, neutiquam coerceri. At vero ſcriptores hanc ακριβειαν non ſemper ſeruant, ſed ſaepius vocabulis vtuntur, quae per ſe, quod ipſi volunt, minime exprimunt. Vid. ipſe noſter lib. 9, 3, 11. Hic dies vniuerſae Graeciae et gloriam dominationis et vetuſtiſſimam libertatem finiuit. Vbi recte monet Gronov. diem vſurpatum pro re, quae illo die facta ſit. Locus noſtrum egregie illuſtrans et defendens inuenitur in Terent. Andr. V. IV. 41. quem integrum huc tranſcribendum puto:

Cr. quid iſthuc eſt?
Ch. Nomen non conuenit. Cr. fuit hercle huic aliud paruae. Ch. quod, Crito?
Numquid meminiſti? Cr. id quaero. P. egone huius *memoriam* patiar meae
Voluptati obſtare, quum egomet poſſim in hac re medicari mihi?
Non patiar. heus Chreme: quod quaeris, Paſibula eſt.

Hic in *memoriam* idem cadit, quod ibi in *facultatem*; vtrique voci vis eſt plane contraria, quippe memoriae obliuionis, facultati difficultatis. Nec ſane hunc vocabulorum vſum a linguae indole tantopere abhorrere puto, quin ſcriptores hac in re adeo imitari liceat.

Sic

Sic equidem haud dubitarem iſta Darii verba, (Juſtin. XI. C. 14.) quibus pontem Cydni ſolvere vetat, hoc modo repetere: *Darius pontem Cydni fluminis interſcindi ideo noluit, ne pons fugam moraretur, multaque millia ſociorum hoſti obiiceret;* nec timerem, ne quem *pons* offenderet.

X. L. 30. 1. 10. *Haec primo laborantis regiae tacitae peſtes et occultae fuerunt.* Haec verba multum torquent interpretes et multum ipſa torquentur ab interpretibus. Gronov. coniicit: *Hae primo* &c. perperam ſane, nam *Haec* referendum eſt ad ea, quae antea ſunt narrata. MSt. Juntae cum aliis vett. ed. *Haec primo labentis regiae tacita peſtis et occulta mala fuerunt.* Lectio, ni librorum MStorum nimis multorum et grauium auctoritates obſtant, profecto digna, quae Juſtino reſtituatur. At vero Graevium offendit haec lectio; mavult: *Haec prima labantis &c. Labans* explicat *minans ruinam*, vt *labans diſciplina* Liv. I, 36. Nugae! *Labens* eodem ſenſu occurrit apud Cic. Phil. II, 21. *labentem et prope cadentem remp.* Praeterea, etiamſi *labens* propriam vim retinet, bene tamen dicitur *regia labens*, quum ea non aedificium innuatur, ſed maieſtas regia, opes &c. Quod vero *primo* in *prima* mutat idem Graevius, mirandum ſane eſt, quum tam clarum ſit, *primo* referri ad *Deinde* in Cap. ſeq.

J. H. P. Seidenstücker.

II.
Commentatio in Horat. II. Epiſt. I, 170—172.

Omnes fere interpretes, ſi ab vnico Dan. Heinſio *), et qui eum ſequutus eſt, Wielando noſtro diſceſſeris, hunc locum *de laude Plauti Comici* accipiunt. Putant nimirum Horatium hic teſtimonia Veterum de Plauto, quem omnes vno fere ore extollunt, ſuo iudicio confirmare. Vertunt igitur: *Ecce quam egregie Plautus tutetur partes* i. e. quam accurate et conſtanter verſetur in depingendis animis et moribus hominum (wie gut er die Charactere halte). Non negari quidem poteſt, *τὸ quo pacto* alias hac ſignificatione dici poſſe, ſed hic tamen contextus, cui inhaerendum, contrariam plane exigere videtur ſignificationem. Maiores noſtri, Horatius inquit, in ſuccincta artis dramaticae, quam inde a verſu 139. exponit, hiſtoria, antiquiſſimis Reipublicae temporibus nonniſi *drama ſatyricum* habebant. Diebus feſtis inter ſacra, quae numinibus ruris faciebant, verſibus, quibus iocoſa convitia exprimebantur, ludebant. Eiusmodi ludi, agreſtium more, ipſi agreſtes fere-

*) V. Dan. Heinſii Diſſertat. ad Horat. de Plauto et Terent. iudic. quae praefixa eſt eius Terentii editionibus.

ſereque ruſtici erant, animo tamen non maleuolo agebantur. Sed hic mos degenerauit ſubinde:

— — "Jam ſaeuus apertam
"In rabiem verti coepit iocus„ — —

Poëtae enim in deſcribendis moribus omnem excedebant modum, ipſasque *domos honeſtas* tanta in medium proferebant petulantia, vt illi ipſi, qui huc vsque inuiolati euaſerant, parem extimeſcerent ſortem:

— — "Fuit intactis quoque cura
"Conditione ſuper communi„ — —

Haec fuit cauſa, cur lege caueretur, ne quis alium tali modo laederet:

— — "Quin etiam lex
"Poenaque lata, malo quae nollet carmine quemquam
"Deſcribi„ — — — —

Nec fuit ſine effectu, nam poëtae exinde mitiores et formidine poenae modeſtiores euaſerunt:

— — "Vertere modum, formidine fuſtis
"Ad bene dicendum delectandumque reducti.„ *)

Quum

*) Gratias agant Deo optimo maximeque Noſtri, quod non iſtis temporibus viuant, vbi tales leges

Quum autem Graeci Romano imperio ſubacti, maiorem cultum artesque inferrent Latio, ceſſerunt quidem, vt antea fuerant, aſperrima ſtudia

— — "Sed in longum tamen aeuum
"Manſerunt, hodieque manent veſtigia ruris.„

Feliciter quidem Romanus exempla Graecorum, Sophoclis, Theſpidis, Aeſchyli aliorumque imitatus et ipſe feliciter auſus eſt, attamen multum poſt exempla ſua receſſit, quia

— "Turpem putat in ſcriptis metuitque lituram.„

Laborem faciliorem putant, quam reuera eſt, facillimo negotio ſe expedire ſtudent, et inde mediocres euadunt. Exemplum iam adfert Venuſinus Plauti:

— — "Adſpice Plautus
"*Quo pacto* partes tutetur amantis ephebi,
"Vt patris attenti, lenonis vt inſidioſi.„

In

leges vigebant. Jure mirandum, nullum adhuc principem hanc vtiliſſimam legem reſtauraſſe, cum tamen in plurimis terris *ius Romanum* valore ſuo adhuc gaudeat. Singula exempla adferri poſſent, inter quae quis neſcit lacrymandum Ephemeridum Erlangenſium Editoris temporibus belli ſeptennis exemplum? Caueant ſibi Critici!

In malam igitur partem et *εἰρωνικῶς* accipiendum erit: Adſpice quam mediocre ſtudium P. in deſcribendis iuuenis amantis &c. poſuerit. Sic quoque ea, quae Horatius de Doſſenno (ſiue Porſenno) addit:

"*Quantus* ſit Doſſennus edacibus in paraſitis.„ —

intelligenda ſunt. Ea, quae ſequuntur, hanc quam dedimus interpretationem ita confirmant, vt vix credas, interpretes contextum tam graviter violare potuiſſe. Ipſe verſus 58 (eiusdem Ep.):

"Dicitur — —
"Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi.„

non eſt contrarius. Indignatur ibi poeta de Coaeuis ſuis, qui nihil mirabantur:

— — "Niſi quod Libitina ſacrauit„ —

quique poemata, ſicut vina, aetate et annis cenſebant. Comparant, ait, Afranium Menandro, Plautum Epicharmo, ſed errant, ſi veteres ita mirantur et laudant poetas, vt nihil illis anteferant nihilque comparent. Comparandus denique eſt locus 2 Epiſt. III. (vulgo Ars poetica) V. 270 ſeq.:

"At noſtri proaui Plautinos et numeros et
"Laudauere ſales: nimium patienter vtrumque

"Ne

"Ne dicam ſtulte mirati, ſi modo ego et Vos
"Scimus inurbanum lepido ſecernere dicto,
"Legitimumque ſonum digitis callemus
et aure.„

Horatius hiſce verſibus non tam ſermonem et τό κομικον Plauti, quam ſales eius ſaepiſſime illiberales ac laſciuos, et inſonoros eius hispidosque verſus, vbi nimia verſuum ſpondaicorum et dactylicorum abundantia offendit aures, reprehendit, vt recte de his monuit Germaniae decus C. Guil. *Rammler* in: *Dichtkunſt des Horatz.* Baſil. 1771. 8. p. 95 ſeq. Si vero cum his ea loca coniungimus, quae ſupra allegauimus, quis dubitabit, Horatium reprehendere Plautum?

At dices, qui fit, vt Venuſinus poeta Plautum, quem omnis antiquitas vno quaſi ore extollit, reprehendat? Plautum, cuius facetias, lepores, purumque ſermonem Varro, Cicero, Quintilianus, Gellius, aliique acutiſſimi et ſagaciſſimi viri tam inſigniter laudant? Plautum denique, de quo dictum fuit: *Muſas ipſas Plautino ſermone fuiſſe locuturas, ſi latine loqui voluiſſent?* Anne igitur omnes iſti, quorum iudicio alias fidem habemus, hic omni veri pulchrique ſenſu plane deſtituti fuerunt, vt laudarent id, quod Horatius, acutiſſimus et ingenioſiſſimus in rebus quae ad guſtum pertinent arbiter, reprehendit? Vt ad ea reſpondeamus, neceſſe erit, vt pauca de

de cauſis differamus, cur placuerit Romanis Plauti Comoedia.

Si quis vero quaerat, quaenam fuerint cauſae, cur Comoedia Plauti placuerit? — primum affirmandum eſſe videtur, an iſte plauſus tam inſignis et vniuerſalis fuerit, vt perhibent? De his ſi videmus, monendum eſt, hic non tam de plauſu, quem tulerit Plautus eiusque Comoedia dum viueret, quaeri, ſed de eo, quem ſequentibus annis et poſt mortem ſuam apud poſteros adſequutus ſit. Aetas enim, qua vixit Poeta, partim nimis ab oculis noſtris remota eſt, ita vt pauca tantum eaque incerta nec ſatis tuta memoriae tradita ſint, partim vero tam aſpera et inculta fuit, vt de vero pretio poetae comici ſtatuere non poſſet. Nemo igitur valde curabit, quamnam laudem ſuo aeuo adeptus ſit Plautus, cum ſciamus, temporibus incultis, qualia illa fuerunt, opus dramaticum vel peſſimum et inexpolitiſſimum laude ſua non carere. Illud igitur, poeta quo vixit, aeuum hic non diximus, ſed poſterius, quo Romani magis culti eſſent et quo exemplis Graecorum edocti acutius ſaperent, quid pulchrum ac decorum in Comoedia ſit, et quid non. Eo igitur tempore, quo Comoedias Terentii aliorumque poetarum comicorum, qui nobis iudicibus Plauto palmam praeripiunt, habebant, *ſales Plautinos*, vt acute adpellat Venuſinus, non pla-

placuiſſe putares. Cultiores certe magisque expolitos eorum admiratores fuiſſe vix crederes. A plebecula quidem, quae imis in ſpectaculo ſedebat ſedibus, (das Parterre; moribus parum differebant ab hodiernis), et quae eo potius conſilio in theatrum veniret, vt frictos ciceres nucesque (vnde Horat. A. p. V. 249. fricti ciceris et nucis emtores eiusmodi homines audiunt) comederet, quam vt arte delectaretur, et quae denique:

— — "Media, inter carmina poſcit
"Aut vrſum aut pugiles *); his nam plebecula gaudet.,, —

ab iſta, inquam, plebecula exſpectandum erat, vt ſalibus in concinnis et ruſticitatis plenis ſermonibus Plauti magis applauderet, quam concinnis Atticoque ſale Terentii aliorumque conditis leporibus. At cultiores quoque (quibus, vt ait Horat. A. p. V. 248. eſt equus, et pater et res, i. e. nobiliores ac diuitiores) praeferre ſolebant Plautum aliis Comicis, quos nos praeferimus Plauto. Teſtimonio Varronis de Plauto, quod Quintilianus exhibet, Muſas &c. iam ſupra vſi ſumus. Cicero libro I. de Off. tribuit illi *elegans*, *vrbanum*, *ingenioſum* et *facetum iocandi genus*, et Gellius N. A. XIX. 8. et VII. 17. latinae linguae adpellat decus.

*) Queritur de his Terentius altero in Hecyram Prologo V. 30 ſeq.

decus. Idem I. 24. Epigramma, quod Plauto a M. Varrone libro I. de poet. poſitum fuerat, exhibet hoc:

"Poſtquam morte datu'ſt (alii captus) Plautus, Comoedia luget:
"Scena eſt deſerta; dein Riſus, Ludus, Jocusque
"Et numeri innumeri ſimul omnes collacrumarunt.„

Ipſa verba Horatii, quae dedimus, confirmant, Plautum apud Romanos ſummae fuiſſe laudis et autoritatis; ſi enim Horatius Coaevos ſuos ab iſto nimio in Comicum ſuum fauore dehortatur, nonne ſimul plauſus, quem ille tulerit, teſtis eſt? Qui dicere potuiſſet: nimis laxi et patientes eſtis in diiudicandis Plauti Comoediis — ſi nemo fuiſſet, de quo hoc valeret? Ipſe Flaccus cauſas, vt puto, innuit, cur placuerit Plauti Comoedia. Sunt autem fere hae:

Primum Romanis omne quod vetus etiam ſacrum fuit. De hoc eximio populi Romani erga omnem antiquitatem amore, apud omnes fere ſcriptores inuenimus veſtigia. Nec mirum; nulla enim eſt natio tam inculta ac inhumana, quae non ea prae caeteris magnifaciat, quae vel originis vel ſtatus, qui olim erat, floridi, teſtes ſunt. Iam vero Plautus primis illis Reipublicae temporibus floruit, quibus nomen et virtus Romanorum in ſum-

mo honore eſſe coepit, ea tempora, puta, vbi Romanus Carthaginis ſuperbae armis adgreſſus poſt innumera pericula victor euaſit; quo factum, vt ſcripta eius tanquam aeui illius heroici relliquias conſiderarent et mirum in modum illis delectarentur. Illud quoque huc pertinere videtur, quod Venuſinus de illis dicit ſenibus, quibus vel ea ſolum placent, quae antiqua ſunt, vel qui turpe putant a minoribus diſcere, eisque quaſi obtemperare.

Deinde vero Romani non ſatis erant culti, vt ſemper quid pulchrum ac decorum, quidue non ſit, diſcernere potuiſſent. Sales Plautini, nimis interdum liberi ac inconditi, magis illis arridebant, quam illa Attica vrbanitas, quae Graecorum fabulis ineſt, quaeque Graecis eo magis placuit, quo magis artibus pacis ſtuderent. Romani contra, rebus bellicis omni feruore incumbentes, ita vt vnice bello viuere viderentur, artes literasque non niſi ſecundarie tractabant, ſubactoque illo ac trito boni pulchrique ſenſu carebant. Nugas, ſales inconditas adeoque verba obſcoena in theatro magis amabant, quam actionum verborumque elegantiam, vrbanitatem ac modeſtiam. Minus hac de cauſa placuit Terentius, fabularum conditor ingenioſus magis, elegans, purus atque modeſtus.

Sed

Sed et hoc nomine magis placuit Noſter, quoniam conciuibus ſuis vbique fere blanditur, eorumque laude celebranda vbique et quaſi totus verſatur. Adpellat eos iudices aequos, bellatores fortiſſimos, aliisque nominibus, quae aures ciuium ſuorum mirum in modum titillabant. Videſis Prolog. in Capteiuis in fine:

— — "Valete iudices iuſtiſſimi,
"Domi bellique duellatores optimi.

Plura exempla colligi poſſent, vbi Plautus callidiſſimus aurae popularis captator vereque δημαγωγός, ſimilibus blanditiis, ad plauſum ciuium ferendum, vtitur. Prologi Plautini facetiis iocisque illiberalibus et alluſiunculis lubricis et longe petitis ſcatent, qualia ſunt in Capt. Caſin. Menaechm. Mercat. &c. Poſſet quoque ex ipſis fabulis totus iocorum ieiuniorum, frigidorum et indecentium catalogus confici; ſed ipſe quaerat, qui cupit, ne nauſeam lectoribus excitemus. Tantum autem abfuit, vt Romani eiusmodi nugas legendo vel ſpectando taedio adficerentur, vt potius mirifice illis delectarentur easque poſtularent.

Huc quoque accedit, quod Plautus ſemper res domeſticas, et vt ita dicam familiares in ſcenam produceret, quo magis placuit, quoniam res, quae ante oculos quaſi noſtros fiunt, animum magis adficiunt, quam ſi ex

ignota regione quaſi petitae ſunt. Quamquam enim Plautus, vt omnes fere fabularum ſcriptores Romani, tam argumentum quam ipſam tractationem a Graecis ſumeret ſeque, vt graculus ille apud Phaedrum, alienis exornaret pennis, multa nihilominus tamen ita in ſuum vſum detorſit, vt totum ab ipſo profectum eſſe videretur.

Hoc quoque animaduertendum eſſe arbitror, Romanos nulla arte fuiſſe magis incultos atque aſperos quam dramatica; ita vt iure ingenioſiſſimus ille atque doctiſſimus harum rerum arbiter Quintilianus X. 1. dicere poſſet: In Comoedia maxime claudicamus. Ante Plautina tempora fabularum ſcriptores, vt ait Flaccus, fluebant lutulenti et arte fabulas componendi plane non erant imbuti; poſt Plautum vero, ſi ab vnico Terentio diſceſſeris, nullum inuenies, qui palmam illis praeripere potuiſſet.

Vidimus igitur, quod et cur placuerit Plauti Comoedia. Reſtat, vt videamus, qui fiat, vt Horatius tam iniquum vereque contrarium de eius pretio ſtatuendo iudicium ferat. Primum omnium animaduertendum, Horatium locis allatis non tam Plautum, quam Coaevos ſuos reprehendere voluiſſe; Coaevos, quibus nil niſi antiquum placebat, quique moribus et guſtu a proauis ſuis ne paſſum

qui-

quidem recedebant. Reprehendit eos, quod tempore non vlterius progrediantur et Graecorum optima imitentur exempla. Hoc tantum dicere voluiſſe videtur, Plautum iam eſſe obſoletum nec aeuo, quo nunc viuerent, congruum. Deinde vero Horatius, elegantiſſimus ille atque emunctae naris poëta, ſales Plautinos vix ferre poterat, nec mirari debemus, ſi hoc ſuum iudicium publice profert. Plura erant, quae ei minime placebant, nec placere poterant, quaeque vbique reprehendit et more ſuo ridet. Sed tantum abfuit, vt conſentientes Aequaeuos ſuos haberet, vt potius verba eius vento darent atque genio ſuo indulgerent.

Tales fuere Concives Flacci, talesque Noſtrates eſſe videmus. Eo quidem nomine, quo Flaccus ſuos, non ſunt accuſandi, quod antiquitati nimis ſint dediti; nam in hoc contrarie plane ſentiunt atque iudicant. Poemata et fabulas quidem, ſicut Romani, annis cenſent, eo tamen diſcrimine, vt recentioribus, quia recentiores non quia praeſtantiores ſunt, magis faueant. At parum differunt Romanis, ſalium Plautinorum, iocorum lubricorum, illepidorum, et frigidorum, nugarumque amore ac ſtudio. Aures titillari, oculos ſatiari, ſenſusque palpari amant. Iure miramur, (non quibus eſt pater, et equus, et res, vt Flaccus ait, ſed quibus eſt veri pulchrique

chrique ſenſus) opera illa aeris perenniora immortalis Leſſingii, aliorumque, poſthabita eſſe a Noſtratibus nugis Sch... K... V.. aliorumque ſcurrarum, quorum nomina ſequens luſtrum delebit (et vtinam deleat nec alios proferat!). Adeas beneuole Lector! vrbium Germanicarum celebrium ſpectacula et videbis Latrones immanes, Thraſones feros, Monachos ſalaces, Meretrices procaces, Scurras futiles, Ganeones, Equites fortiſſimos, Papagenos Papagenasque. Rapitur, caeditur, trucidatur, iactatur, ſtupratur, boatur, dira et obſcoena verba dicuntur, voratur, potatur, omnia vario miſcentur tumultu. Plauti Peniculos, Artotrogos, Pyrgopolinices, Staſimos, Curculiones et Sycophantas audire putares —

— — "Nam his plebecula gaudet." —

Gothae,

J. Chr. Guil. Augusti.

III.

Obſeruationes in quosdam veterum poëtarum locos.

Nunquam eo conſilio legi Veteres, vt, quod Noſtratum nonnullorum morem eſſe videmus, venationis quaſi ſtudio varias lectiones

nes vndique conquaereram atque emendationes et coniecturas criticas tanquam iaculo captarem. Plus enim ſagacitatis teſtimonium improbum iſtud emendandi ſtudium, quam verae vtilitatis eſſe promotionem, perſuaſum mihi habeo. Si vero in lectione cuiusdam veteris autoris et imprimis poëtae ſedulo inſtituta occurrunt quaedam, quae minus recte conſtituta, ſed vel Librariorum vel Criticorum ineptis ſaepe ſtudiis corrupta eſſe videntur, cum ſanae Critices regulis, tum veri pulcrique ſenſu, quo tamen facile quis inducitur, emendare ſtudeo. In quo quidem negotio dextre ſiniſtreue verſatus ſim, Lectorum criticorum iudicium experturus, exiguum hocce ſpecimen propono.

Theocrit. I. 102.

Ἤδη γὰρ Φράσδει πάνθ' ἅλιον ἄμμι δεδύκειν.

Queritur in his verſibus Daphnis, cuius παθηματα Thyrſis exponit, de crudelitate Veneris perfide ridentis et illam odio vsque ad Orcum duraturo proſequi iurat. Reliqua nulla difficultate laborant, ſed v. 102. valde ab interpretibus vexatus fuit, quorum placita hic praeterimus. Lectio codicum et edit. prim. haec fuit: Ηδη γαρ Φρασδει πανθ' αλιος αμμι δεδυκη; Fluctuant quoque inter δεδυκει et δεδυκην. Huius ſcriptionis ſi ratio-

nem

nem teneo, vatem Syracuſanum ita ſcripſiſſe perſuaſum mihi habeo:

Ἥδη γὰρ φράσδει πάνθ' ἅλιος, ἄμμι
δὲ νίκην.

Hoc ſenſu: *Iam enim omnia ſol indicabit, mihi vero victoriam annuntiabit.* Priorem commatis partem recte, vt puto, Scholiaſtes expoſuit: Ηδη γαρ ὁ ἥλιος φρασδει ἡμιν παντα, ηγȣν δεικνυσι, φανερα ποιει, δια την μετα τȣ Αρειος αυτης (ſcil. Κυπριδος) μιξιν λεγει, ἣν εδειξεν ὁ ἥλιος (ſcribendum Ἅλιος). Putat igitur notiſſimam illam de Venere et Marte fabulam, quam attingit Ovid. Met. IV. 171. ſeq. Sed de Phoebo intelligere nolim, potius ἅλιον explico: diem, tempus, et νικην victoriam. Metrum non offendit haec emendatio, nam in νικη longa eſt penultima. cf. Heſiod. Εργ. 209 et 311. et Theocrit. Id. VI. 46. Contextus autem exigere videtur. Non plane incongrua ſunt Sophocl. Oed. Tyr. 1213. (ed. Br.):

Ἐφευρε σ' ἀκουθ' ὁ πανθ' ὁρων χρονος,
Δικαζει τον ἀγαμον γαμον παλαι.

Vult igitur dicere Daphnis moribundus: Omnia tua, o Venus! facinora manifeſta fient, ego vero facinorum tuorum victor euadam et vltus ero. Ea quae ſequuntur, vbi Veneris probra recenſentur, hanc interpretationem adiuuant. Totus locus ita cohaeret:

Τάνδ'

Τὰνδ' ἄρα χὼ Δάφνις ποταμείβετο. Κύπρι
βαρεῖα,
Κύπρι νεμεσσατα, Κύπρι θνατοῖσιν ἀπεχθής.
Ἤδη γὰρ φράσδει πάνθ' ἅλιος, ἄμμι δὲ νίκην.
Δάφνις κἠν ἀΐδα κακὸν ἔσσεται ἄλγος ἔρωτος.

Calpurnius Eclog. X. 25—26.

Vos etiam et Nyſae viridi nutriſtis in antro,
Hunc Nymphae, Faunique ſenes, Satyrique
procaces.

Malim legere:

Hunc Nymphae, Faunique *leues* Satyrique
procaces.

τὸ *leues* melius enim conuenit ſequenti *procaces*, et Fauni propter leuitatem ſuam bene noti, quo ſpectat Horat. III. Od. XVIII. 1.

Faune Nympharum fugientium amator.

Cf. etiam Virg. Eclog. VI. 27. vbi Fauni ad numeros Sileni luſiſſe dicuntur.

Idem v. 52—54.

Atque alius latices preſſis reſupinus ab uvis
Excipit, at potis ſaliens liquor ore reſultat
Spumeus inque humeros et pectora diffluit
humor.

Locus, me iudice, ita corrigendus:

Excipit, *adpoſito* ſaliens liquor ore reſultat.

De-

Deſcribuntur vindemiae primae gaudia; Satyri, Fauni et reliqua aruorum ac nemorum numina Lyaei donis primum vtuntur, inſuetasque vini vires experiuntur. Pocula nondum aderant, ergo vaſa, quae fors obtulit, arripiunt, adeoque in humum proſtrati muſta auide abſorbent. *Latices preſſis ab uvis* ſunt muſta, vini fontes, Sic Horat. 2. Od. XIX. 10:

Vinique fontem, lactis et vberes
Cantare riuos, atque truncis
Lapſa cauis iterare mella.

et Senec. Oed. act. 2. Sc. 3. v. 90 ſeq.

Lectio codicum eſt, vel: *ac potus* — vel: *at potis*, quod etiam probatum eſt Wernsdorfio in Poet. lat. min. T. II. ita vt idem eſſet ac *potatoribus*. Sed nec vna nec altera mihi arridet lectio, illamque, quam modo dedi, tenendam eſſe cenſeo. Potator in terra reſupinus iacet apertoque ore muſta a prelo defluentia haurit, ſed propter nimiam copiam abundat et pectus humerosque bibentis humectat merum.

Notanda adhuc eſt lectio, quam Cod. Voſſianus a Dorvillio excerptus verſu 54 exhibet; pro *ſpumeus* enim habet *euomit*, hoc modo:

Euomit inque humeros et pectora d. h.

Comparari poſſet Virgil. Aen. V. 182:

Et ſalſos rident *reuomentem* pectore fluctus.

Auſon. Cupid. cruci aff. v. 19—20.

Irrita dona querens, ſexu gauiſa virili
Moeret in antiquam Caenis reuocata
figuram.

Interpunctione mutata ſic locum reſtituo:

Ventilat ignauum ſimulati fulminis ignem
Irrita dona querens. Sexu gauiſa virili
Moeret in antiquam C. r. f.

Melius *irrita dona querens* quadrat ad *Semelem*, de qua ſermo eſt in praecedentibus, quam ad Caenin. Comp. Ovid. Met. III. 209. vbi de Semele: *Donis* jugalibus arſit.

Senec. Trag. Hippol. Act. I, Sc. III. 3 ſeq.

Impotens flammis ſimul et ſagittis
Iſte laſciuus puer ac renidens
Tela quam certo moderatur arcu!
Labitur totas furor in medullas
Igne furtiuo populante venas.

Deſcribit Chorus potentiam Cupidinis, quam ſpreuit caſtus Hippolytus Dianae pudicae ſeruitio addictus. In animo erat *impudens*, quod bonum hic funderet ſenſum, nam quis impudentior Cupidine? Sed retinendum eſt *impotens*, quoniam Senecae eſt vſitatum ponitur que pro: perpotens, valens. *Renidens* idem

eſt

eſt ac ridens v. gr. Ovid. Met. VIII. 197. *Totas* medullas pro *omnes*, vt ſaepius eſt in Senec. Trag. Cf. etiam Pervigil. Ven. v. 60. vbi *totis* nubibus occurrit. Ad contextum recte conſtituendum, ita locum refingo:

Impotens flammis ſimul et ſagittis,
Iſte laſciuus puer ac renidens,
Tela *quum* certo moderatur arcu:
Labitur totas furor in medullas,
Igne furtiuo populante venas.

Gothae.

AUGUSTI.

IV.
Deſcriptio trium numorum Graecorum.

Cum mihi contigiſſet nuper tres numos argenteos maioris moduli inſpicere, quos exſul francogallicus pro antiquis venditabat, recoctos illos et egregia externa ſpecie commendatos, quin recenſum eorum, quamquam ſuſpecti et parum genuini videbantur, paucis inſtituerem viriſque harum literarum peritis iudicandi de iis copiam facerem, committere nolui.

I.

I.

Bacchi caput imberbe inſcr. ΔΙΟΝΥΣΟΥ ΣΩΤΗΡΟΣ. Referendus ille haud dubie ad Maroneae numos, vbi Bacchus Σωτὴρ colebatur, quorum multi huius generis numi, argentei etiam, proſtant apud Raſche voc. Maronea p. 271 ſſ. et Eckhel doctrina numor. P. I. Vol. 2. p. 34 ſ. — Averſa parte figura muliebris veſtita ſedens cum haſta ſ. ſceptro. Epigraphe: ΟΥ ΔΟΚΕΙΝ ΑΛΛ ΕΙΝΑΙ, fraudis numum facile arguens. Infra: ΒΟΥΛΗΣ ΓΝΩΜΗ.

II.

Protome muliebris elegantiſſima, comto ornatoque capillo, veſte ſupra humeros vsque velata. Epigraphe: ΙΦΙΓΕΝΕΙΑ ΑΓΑΜΕΜΝΟΝΟΣ. — Averſa pars ſacrificium Iphigeniae, ni fallor, refert. Ara ardens: coram qua figura prona, ſuperiori corporis parte nudata, velut mactanda, haud dubie Iphigenia. Iuxta victima, vt videtur, cerua, quam Diana ſiſtebat. Quatuor alii homines: ſacerdos velato capite pateram ſupra caput ſupinae figurae ſuſpenſam tenens, velut vinum inſperſurus hoſtiae: alius ſenex vaſculum cum fructibus prae ſe ferens: alius poſt mulierem ſupra caput aliquid, vas forte, ſiniſtra manu tollens: denique puer ſacrificulus neſcio quod vas ſ. poculum capite ſuſtinens. Subſcriptum: ΕΛΛΗΝΩΝ ΚΑΛΑΙΙ ΣΗΜΑ. An: Ἑλλήνων κατ᾽ Αὖλιν σῆμα?

III.

III.

Protome viri barbati. Epigraphe: ΑV-ΣΑΝΑΡΟΙ ΑΑΚΩΝΟΣ (*Λυσάνδρου Λάκωνος*). — Averſa. Prora nauis ab equis marinis per mare tractae. Victoria alata manu coronam praeferens inſiſtit prorae. Inſcr. NIKIENNISHC. Manifeſto ſpectat ad victoriam quandam naualem Lyſandri, claſſis Lacedaemoniorum praefecti.

Cellis.

C. G. Lenz.

V.

Nonnulla ad Heſiodi Ἐργ. v. 381—385. diſputat Io. Conr. Schaubach, Inſpector. Meiningae MDCCXCIV.

Siderum notitiam multos veterum et Graecorum et Romanorum poëtarum cum omnino ad poemata melius exornanda tum potiſſimum ad anni tempora ex eorum ortu et occaſu cognoſcenda et diſtinguenda haud raro adhibuiſſe, res nota eſt. Priſcae enim aetatis homines antequam certam et conſtitutam aliquam haberent anni diuiſionem, ex ſiderum obſeruatione tempora dignoſcere laboresque potiſſimum rurales inſtituere coacti lon-

fuerunt. Cum vero ſtellarum locus continua longitudinis praeceſſione quotannis mutari ſolet; homines ſi labores ruſticos tempore opportuno fieri maiorumque praecepta ſuo tempori accommodata eſſe cupiebant; ſtellarum motum denuo obſeruando ea corrigere vel alia illis ſubſtituere neceſſe erat.

Duo autem in poetis, qui res aſtronomicas tractant, legendis nos offendunt difficultatum genera; quorum alterum ex eo potiſſimum venire videtur, quod recentiorum maxime Romanorum auctores et temporis et loci, quo vixere, ſitus nimis incurioſi vel huic vel alteri veterum aſtronomorum ſententiae adhaeſerunt, alterum vero ex diuerſo ortus et occaſus modo oriri ſolet. Conceſſum enim eſt a recentioribus, vt vtriusque cum ortus tum occaſus triplex ſtatuatur modus. I. *Coſmicus ortus* is eſt, cum ſtella ſole oriente oritur. (Geminus: ἐπιτολὴ ἑῶα ἀληθινὴ). II. *Coſmicus occaſus*, cum ſtella ſole oriente occidit (δύσις ἑῶα ἀληθινή). III. *Ortus heliacus*, cum ſtella adhuc ſolis radiis obducta emergit, et paullo ante eius exortum mane in diluculo conſpicitur. IV. *Occaſus heliacus*, vbi in eo eſt, vt radiis ſolis immergatur ſtella, eumque veſpere occidentem ſubſequitur. V. *Ortus acronychus*, quando ſole occidente ſtella e regione oritur; et VI. *Occaſus* tandem *acronychus*, quando ſole occidente ſtella ſimul euaneſcit.

Geminus

Geminus illis iam commemoratis *ortum* inſuper *veſpertinum* et *occaſum mututinum apparentem*, adiecit. Petav. Uranolog. var. diſſ. lib. I, c. I et II. *Ptolemaeus* alios quosdam ſtellarum partim ad horizontem partim ad meridianum circulum ſitus profert, illosque ortus et occaſus modos adpellat. *Achilles Tatius* et *Theophraſtus* duplicem ſtatuunt modum. (vid. Petav. Uranol. var. diſſ. lib. I.) Etiam *Plinius* lib. XVIII, 25. vulgarem iſtam averſari et duplicem tantum aſſumere videtur modum, heliacum et coſmicum. Verba eius haec ſunt: *Exortus et occaſus binis modis intelliguntur, aut enim aduentu ſolis occultantur ſtellae et conſpici deſinunt, aut eiusdem abſceſſu proferunt ſe. Emerſum hoc melius quam exortum conſuetudo dixiſſet, et illud occultationem quam occaſum. Alio modo, quo die incipiunt adparere vel deſinunt oriente ſole aut occidente matutini veſpertiniue cognominati, prout alterutri eorum manc vel crepuſculo contingit.* Sed ſi eius ſententiam perſpicio, ortus et occaſus in duas tantum partes diuidit, in apparentes et veros. Num autem et quotuplex ſit vtriusque modus, non ſatis certe definit. Stat igitur Petavii aliorumque recentiorum ſententia, qua triplicem aſſumere licet ortus et occaſus modum.

Princeps omnium, qui de ortu et occaſu ſiderum tractauere, poetarum, *Heſiodus* iure putandus eſt. Qui, cum in priori libri, *ἔργα* in-

inſcripti, parte contra cuiuslibet generis ſcelera omnino monuiſſet, ſingularumque, quae illa aetate neceſſariae fuerant, virtutum, iuſtitiae potiſſimum et induſtriae ſtudium commendaſſet, in poſteriori parte ad labores quosdam neceſſarios praecipiendos ordinemque, quo inſtituendi ſint, exponendum procedit v. 381 ſeqq.

Πληϊάδων Ἀτλαγενέων ἐπιτελλομενάων,
Ἄρχεσθ' ἀμητοῦ· ἀρότοιο τε δυσσομενάων.
Αἱ δήτοι νύκτας τε καὶ ἤματα τεσσαράκοντα
Κεκρύφαται· αὖτις τε περιπλομένου ἐνιαυτοῦ
Φαίνονται· τὰ πρῶτα χαρασσομένοιο σιδήρου.

Si eum viguiſſe circa 1000 a. C. ſolemque illo tempore in arietem transgreſſum eſſe d. 31 Mart. cum Petavio ſtatuimus: *) Pleiadum

*) Omnis enim, vt notum eſt, auctorum de Heſiodi aetate ſententia fluctuat et incerta fertur. Omnium enim antiquiſſimus Herodotus II. 53. parum diſtincte dicit: Ἡσίοδον γὰρ καὶ Ὅμηρον ἡλικίην τετρακοσίοισι ἔτεσι δοκέω μευ πρεσβυτέρους γενέσθαι καὶ οὐ πλέοσι. Conf. Gell. noct. att. III. 11. Inter recentiores Riccioli Alm. nov. pag. 463. annum 953. a. C. poſuit, de la Lande 950. Poeta quidem ἔργ. v. 562 ſeqq. ipſe aetatis ſuae tempus tradere videtur. Cum vero ſtellarum ad longitudinem progreſſio adeo tarde fit, vt mutatio aſcenſionis

dum lucida ſub eleuatione poli, quae Athenis eſt 37°, heliace exoriebatur in Taur. 11° 4′ h. e. 11 Mai. heliacus occaſus fuerat in Ariet. 0° 51′ ineunt April.; Coſmicus tandem occaſus Libr. 19°, initio Novembr.

In meſſe igitur inſtituenda poetam non coſmicum ſed heliacum intellexiſſe, ex ipſa temporis ratione pateſcit. In aratione vero incipienda, dum πληϊαδ. δυσσομ. eam fieri iubet, ad occaſum coſmicum, qui fit initio Nov. vtique ſpectare poterat, quam ſententiam ipſe v. 614 ſeqq. confirmare videtur. Verum cum nec vno tantum anni tempore arationis opus exercerent veteres: Heſiodus, cum forte ἐπιτελλ. τῷ δυσσομ., oppoſitum voluiſſet, ambiguitatis vitii et rationi ſuae infeſti et carmini parum apti accuſari poteſt. Verſus enim qui ſequuntur 383—385 αἳ δή τοι νύκτας τε — — σιδήρου cuiuslibet legentis animum offendunt, neque parum augent diffi-

nis rectae per vnius ſaeculi ſpatium aegre obſeruari queat; illius aeui hominibus omni fere qualicunque ope ad obſeruandum neceſſaria deſtitutis in obſeruando error obrepere poterat, quo aetas non decennium modo, ſed ſaecula aliquot ſiue recederet ſiue progrederetur. Neque igitur in his Heſiodi verbis accuratius et ſubtilius, quam in illo iam laudato Herodoti loco, aetatem poetae indicatam eſſe inuenies.

difficultatem. Si enim cum reliquis coniungendi eſſent atque explicationis cauſa adiecti; hunc praeberent ſenſum: arationis opus ad *occaſus heliaci* primis Aprilis diebus inſtituendum eſt. Sin minus, quamvis recte in illis auctor obſeruat, eas quadraginta dies ac noctes latere; penitus tamen otioſe poſiti eſſent, reliquorumque intricarent ſenſum.

Tzetza ad h. l. Heſiodum eos adieciſſe cenſet, vt fratri artis adhuc imperito, certum aliquod ſuppeditaret indicium, quo meſſis tempus obſeruare queat. Verum hoc tempus cognoſcendi principium ſi frater quoque ignoraſſet, certe tamen admirandum foret, cur poeta in vno hoc tantum poematis loco id et adeo adhibuerit, vt alteram ſententiae partem illuſtrando alteri maiorem intulerit difficultatem. Quid igitur plura? Heſiodi ſcriptis idem accidit; quod in aliis veterum monumentis, multa in iis corrupta eſſe et interpolata, obſeruamus. Hunc locum ergo a rhapſodo quodam adiectum, ideoque eſſe delendum, veriſimile mihi videtur.

VI.

De ritu antiquiſſimo per ignes et carbones candentes incedendi, ad locum Virg. Aen. XI, 785 ſeqq.

(Proluſ. a Joa. Frider. Eckhard, Gymn. Iſenac. Direct. ſcripta a. 1791.)

Multum ſuauitatis habet, miraque caſuum varietate animum legentis oblectat, nobilis illa de Camilla narratio, qua Virgilius poëta, poſt alia epiſodia nonnulla, Aeneidos librum vndecimum, in ieiuno et ſterili argumento occupatum, ſummam enim eius facit, exercitus Aeneae, aduerſus vrbem Latinorum Laurentum deductus, arte ſingulari diſtinguit atque exornat, in cuius parte extrema, ritus illius, per ignes et carbones candentes incedendi, mentio fit, de quo pluribus exponere propoſitum mihi eſt. Ante vero quam eo deueniamus, non alienum viſum eſt, epiſodium hoc a reprehenſione, in quam vocari poſſet, vel etiam vocatum eſt, vindicare.

Prima haec eſt, in toto Aeneidos opere mentio, virilis animi virginis, cuius res fortiter et praeclare geſtas latius deinceps enarrat. Nihil itaque aequius, nihil aptius et adcommodatius erat, quam de tota ipſius vita, ſatisque plane ſingularibus exponere.

Omnis

Omnis igitur quaeſitae, et inanis excurſionis ſuſpicio a poëta facile depellitur, narratio autem ipſa non omni reprehenſione caruit. Narrat Virgilius, *) Metabum patrem, regno a ſuis pulſum, cum Camilla filiola, vixdum nata, quam ſinu prae ſe portabat, in fugam ſe conieciſſe, atque inter hoſtium perſequentium terrores, ad fluuium Amaſenum, rapidum forte et imbribus tumidum deueniſſe. Hunc igitur tranare fluuium conantem, ſed vitae infantuli metuentem, filiolam libro et ſylueſtri ſubere clauſam, haſtae ſolidae, quam ſecum ferebat, alligaſſe, atque ſic vna cum haſta trans flumen miſiſſe, quod ipſe deinde natando ſuperauerit. Hoc quidem eſt, quod nonnullis tamquam a vero nimium abludens, diſplicuit, qui multo propius ad fidem eſſe ſibi perſuadent, ſi cum illa, humeris, aut tergo illigata, flumen traieciſſet. **)

Non is quidem ego ſum, qui caeca admiratione captus, poëtam praeſtantiſſimum, numquam halucinatum, nusquam lapſum eſſe exiſtimem, non ignorans Homerum ipſum nonnunquam dormitaſſe; quod ad hunc autem locum attinet, reprehenſionem ei ſine cauſſa eſſe oblatam, atque adeo in laudem potius verti, non difficulter, vt opinor, oſtendi poterit.

Magis

*) Aeneid. L. XI, v. 539 ſeqq.

**) v. ill. *Heyn. Excurſ. ad Aeneid*, Lib. XI.

Magis probabile eſſe, aiunt, Metabus, ſi fluuium, natando cum filiola in tergo, ſuperaſſet. An vero nihil ſio erat, cur vitae ipſius metueret? Si non aliud malum huic, inter natandum accideret, hoc tamen, quin fluctibus nonnumquam tota obrueretur, vitari haud poterat, quod vnum vitae infantuli ſatis inimicum ac pernicioſum erat. Non ſine graui igitur cauſſa Metabus, conſilium, quod primum in mentem veniebat, abiicit, atque aliud huic praefert. Hoc autem, ſi non dicam tutius eſt, quod tantisper in medio relinquamus, ſed rege atque bellatore *) multo dignius, quid tum exiſtimandum, vel ſtatuendum potius erit? eo autem verba Virgilii: *atque haſtam cum virgine victor, gramineo de ceſpite vellit*, ſignis haud obſcuris nos deducunt. Metabus igitur, ſimulac flumen ipſe tranauerat, *vellit haſtam victor*, hoc eſt, voti ſui compos, quia infantulus incolumis periculum euaſerat. Quid vero cauſſae eſt, cur haſtam *velli* erat neceſſe? Satis manifeſta in verbo *vellit* ſignificatio eſt, regem in fugam coniectum, haſtam cum filia, ea arte libratam transmiſiſſe, vt auras transeundo arcum faceret, tacitaque ſpatii dimenſione, ceſpiti infixa, in littore aduerſo ſtaret. Non opus enim erat haſtam vellere, niſi antea terrae eſſet infixa. Decebat autem in primis regem atque bellatorem, in iaculandi arte peritum,

atque

*) Deſerte ita dicitur v. 558.

atque ita exercitatum eſſe, vt quocunque vellet, iaculum certum dirigere, in poteſtate eſſet. Decebat eumdem in ſummo periculo conſtitutum, artis huius reminiſci, qua fretus aliquid audere, feliciquе auſu exſequi poterat; atque haec fiducia, in iaculum tractandi peritia collocata, qua niti tuto poterat, conſilium ipſum a rege initum, non tantum heroe multo dignius, ſed etiam, quod demonſtrare ſupererat, tutius, quam vulgare illud facit, cum filia trans flumen natandi, quocum et aliud incommodum, bellatore plane indignum erat coniunctum. Quid enim, ſi hoc praetuliſſet, haſtae illi, quam rex ſecum ferebat, eſſet factum? haſtae, inquam, tot periculorum comiti, tot facinorum egregiorum adiutrici, quae tanto in pretio heroibus, merito ſuo eſſe ſolet? haec tam fida haſta, hoſtibus inſequentibus praedae relinquenda fuiſſet; eamdem vero, non eripiebat tantum hoſtibus, cum filiolam illi alligaret, ſed eam ipſam etiam, ſubſidio eius ſeruatam, in tuto collocabat. Nihil, vt opinor, ſic ſupereſt, quod offenſioni amplius eſſe poſſit, nihil, quod cum re et veritate pugnet, et quoniam tota haec ratio haud parum admirationis habet, tanto dignior rege atque heroe eſt; quantum vero grauitatis orationi adfert, tantum ſuauitatis narrationi toti addit, atque conciliat. Sed haec quidem obiter notauimus, quia praetermiſſa eſſe interpretibus videmus.

Nunc

Nunc quidem cupiditas nos ad cultum ſingularem rapit, Apollini, per ignem, et carbones candentes incedendo exhibitum, cuius mentio in hac ipſa narratione extrema iniicitur. Arruns, Camillae interemtor, magnum hoc facinus aggrediens, ad Apollinem conuerſus ita precatur:

Summe Deum, ſancti cuſtos Soractis Apollo,
Quem primi colimus, cui pineus ardor aceruo
Paſcitur, et medium freti pietate per ignem
Cultores, multa premimus veſtigia pruna. *)

Hunc autem Apollinis cultum, cuius rara mentio eſt, quum poëta leuiter tantum perſtringat, non enarret, proderit omnino circumſpicere, num quid luminis aliunde huic poſſit adferri. Plenius autem de eo *Plinius* **) *maior* commemorat. *Haud procul ab vrbe Roma in Faliſcorum agro, familiae ſunt paucae, quae vocantur Hirpiae, quae ſacrificio annuo, quod fit, ad montem Soractem, Apollini, ſuper ambuſtam ligni ſtruem ambulantes, non aduruntur, et ob id perpetuo Senatus conſulto, militiae, munerumque aliorum vacationem habent.* Neque etiam hic *Solinum*, Plinii epitomatorem, in partes vocare poenituerit, qui de re plane eadem ita loquitur: *e memorabilibus inclitum, et per omnium ora vulgatum, quod perpaucae familiae ſunt, in agro Faliſcorum, quos Hirpos vocant. Hi ſacrificium annuum ad*

*) Aeneid. L. XI. v. 785 ſeq.
**) Hiſt. Nat. L. VII. c. 2.

ad montem Soractis Apollini faciunt, id operantes geſticulationibus religioſis, impune inſultant ardentibus lignorum ſtruibus, in honorem rei diuinae flammis parcentibus. *) Salmaſius **) hic, *Plinium*, qui habet, *quae vocantur Hirpiae*, e *Solino* corrigit, et legi mauult, quae vocantur *Hirpi*. Prona hinc coniectura eſt, Arruntem illum, qui Apollinem tam ſollenniter in auxilium aduocat, *Hirpum* aliquem, ſiue ex *Hirporum* familia fuiſſe. Neque etiam huic obſtat, quod *illuſtri Heynio* ***) notatum eſt, inter populos, qui Turno auxilia miſerint, etiam Faliſcos, auctoritate Virgilii fuiſſe *), et quidem, qui *aequi* dicebantur, quo nomine a Faliſcis Hetruſcis ſatis diſtinguuntur **); Arruntem itaque, qui a Troianorum partibus ſtetiſſet, non *Faliſcum*, neque *Hirpum* eſſe potuiſſe. Enim vero populum Faliſcum Virgilius nominat, non ſingulas ejus familias, quarum valde paucae erant *Hirpi*, quae etiam, vt *Plinius* diſerte obſeruat ***), propter hunc Apollinis cultum, perpetuo Senatus Conſulto, militiae vacationem habebant, atque ita ab omni coactione erant liberi.

Sequitur nunc, vt alloquutionem Arruntis ad Apollinem paullo adcuratius excutiamus, quam

*) Cap. III.
**) in Exercitat. ad Solin. p. 59.
***) in Virgil. ad h. l.
*) Virgil. Lib. VII. v. 695.
) vid. Salmaſ. l. c. *) l. cit.

